



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**TRACTATVS|| DE CON-||FESSIONIBVS MA=||LEFICORVM ET  
SAGA-||RVM SECVNDÒ RECOGNI||tus, & auctior redditus.||  
An, & quanta fides ijs adhibenda sit?||**

**Binsfeld, Peter**

**Avgvstae Trevirorum**

**VD16 B 5530**

Quinta Conclusio. Existimo non esse negandum, aliquando res huiusmodi duras in partibus corporis, Dæmonis potentia & maleficorum opera includi.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41113**

uis interius contractis & contritis, fulminis i-  
ctus hominem lædat. Ad hoc facit quod Isido-  
rus lib. 13. Ethymolog. Seneca lib. 5. & 6. natu-  
ralium quæstionum, & Plinius lib. 2. hist. nat.  
& alij tradunt, quod fulmen talis sit naturæ,  
quod oculis & bursis in nullo læsis, sed inte-  
gris manentibus, suo tactu conflatur & consu-  
mit pecunias, aut gladium in vagina liquefa-  
cit, vagina intacta. Non enim fulmen eodem  
modo omnem materiam lædit. Quæ enim ob  
duritiam ei resistunt, vt lapis, ferrum, æs, & si-  
milia, vehementius & fortius dissipat & conte-  
rit: teneris, mollibus & rarioribus parcit. Hinc  
contingit, vt dictum est, quod quando homi-  
nem lædit, nihil vulneris exterius apparet,  
contritis interius ossibus.

*Quinta Conclusio. Existimo non esse  
negandum, aliquando res huiusmodi duras  
in partibus corporis, Dæmonis potentia &  
maleficorum opera includi.*

**Q**VIA multorum hominum diligenti ocu-  
lari inspectione compertum est, similes  
materias è corporibus excisas & remissas esse. In  
eis autem, quæ multis ad sensum patent, om-  
nia ad deceptionem referre, quando clara  
sunt testimonia etiam Doctorum, infirmus est  
intellectus. Quia multa sunt, & fiunt, & non  
est dubium ea esse, quæ tamen rectè non pos-  
sunt

sunt cognosci, vt August. lib. 21. de Ciuit. cap. 5. docet.

Sexta Conclusio. *A ratione alienum esse non puto, Dæmonem subtilitate sua scientia, & virtute potentie posse immittere homini profundissimum somnum, & medijs naturalibus efficacissima operationis adimere sensum doloris, vt scissione carnem diuidat, & huiusmodi materias duras imponat, & iterum breuissimo tempore curet alijs naturalibus fortissimisq; remedijs nobis incognitis.*

**S**IQVIDEM & medici vel chyrurgi naturalibus & soporiferis herbis nonnunquam immittunt soporem, ad remouendum dolorem, quando aliquod membrum abscindere volunt. Dæmonis autem peritia insignis est, & potentia eius maior, quàm ab homine intelligatur. Nemo existimet, quod sine causa mille artifex dicatur. Nec quis admiratione capiatur, quod nullum signum talis incisionis appareat. Cùm cicatrix relinquatur, aut ob imperitiam medici, aut ob medicinæ debilem & tardam operationem, quæ omnia Dæmon supplere potest. Quare videmus, quod ceteris paribus præstantior Chyrurgus perfectius curet, & minorem cicatricem relinquat.

Huic